

Werk

Titel: Analecta

Autor: Haupt, M.

Ort: Berlin

Jahr: 1866

PURL: https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?509862098_0001|log6

Kontakt/Contact

Digizeitschriften e.V.
SUB Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen

✉ info@digizeitschriften.de

ANALECTA.

I. Caelius Aurelianus Celerum passionum II 30 haec habet, *siquidem vulgus quadam consuetudine propria et dominantia magnis nominibus adpellat, ut magnum mare sacrum mare atque luem deificam epilepticam passionem.* similia uberius exponit Tardarum passionum I 4, *epilepsia vocabulum sumpsit quod sensum atque mentem pariter adprehendat. adpellatur etiam puerilis passio, siquidem in ipsis (f. istis) abundat aetatibus, et sacra, sive quod divinitus putetur immissa, sive quod sacram contaminet animam, sive quod in capite fiat, quod multorum philosophorum iudicio sacrum templum est partis animae in corpore natae, sive ob magnitudinem passionis: maiora enim vulgus sacra vocavit; inde sacrum dictum mare et sacra domus, velut tragicus poeta sacram noctem, hoc est magnam, adpellavit.* commentabor de his, eo maxime consilio ut Graecae quae in eis insunt doctrinae vestigia persequar. nam quod ad summam disputationis attinet, id est ad nomen sacri morbi recte explicandum, non potest dubitari quin missa argutula ista grammaticae eruditio subtilitate sequendum sit verissimum iudicium Hippocratis, qui in ipso libri quam de eo morbo conscripsit initio sic loquitur, *περὶ μὲν τῆς ἱερῆς νούσου καλεομένης ὥδε ἔχει. οὐδέν τι μοι δοκέει τῶν ἀλλων θειοτέρη εἶναι νούσῳν οὐδὲ ἱερωτέρη, ἀλλὰ φύσιν μὲν ἔχειν ἦν καὶ τὰ λοιπὰ νουσήματα διῃνεται, φύσιν δὲ αὐτῇ καὶ πρόφασιν οἱ ἄνθρωποι ἐνόμισαν θεῖόν τι πρῆγμα εἶναι ὑπὸ ἀπειρίης καὶ θαυμασιότητος, οἵτι οὐδὲν ἔσικε ἐτέρησι νούσοισι. καὶ κατὰ μὲν τὴν ἀπορίην αὐτοῖσι τοῦ μὴ γιγνώσκειν τὸ θεῖον αὐτῇ διασώζεται, κατὰ δὲ τὴν εὐπορίην τοῦ τρόπου τῆς ἵησιος ἀπόλυται. cum Caelio Almelovenus comparavit Aretaeum et Apuleium. quorum ille de causis et signis chronicorum morborum I 4 ita de epilepsia loquitur, ἀλλὰ καὶ ἀδοξος ἡ ξυμφορή. δοκέει γὰρ τοῖσι ἐσ τὴν Σελήνην ἀλιτροῖσι ἀφικνεῖσθαι (ἐφικνεῖσθαι probabiliter Ermerinsius) ἡ νοῦσος. τούτους διεργάτης καὶ λήσκοντι τὴν πάθην. ἀτὰρ καὶ δι' ἀλλας προφάσιος, ἡ μεγέθεος τοῦ κακοῦ (ἱερὸν γὰρ τὸ μέγα), ἡ ἵησιος οὐκ ἀνθρωπίνης ἀλλὰ θεῖης, ἡ δαίμονος δόξης ἐσ τὸν ἀνθρωπον εἰσόδον, ἡ ξυμπάντων δμοῦ,*

τήνδε ἐκέλησκον ιερήν. ubi vereor ne δόξης non satis recte intellexerint interpres, explicandum autem sit eis quae Hermannus ad Aeschyli Suppl. v. 754 adscripsit. Apuleius haec dicit in Apologia cap. 50, *enimvero si perniciosa illa dulcedo intus cohibita et bili atrae sociata venis omnibus furens pervasit, dein ad summum caput viam molita dirum fluxum cerebro immiscuit, ilico regalem partem animi debilitat, quae ratione pollens verticem hominis velut arcem et regiam insedit.* putatur ibi dulcedinis vocabulum corruptum esse, inscienter admodum. nam antea Apuleius dixerat numquam postea comitiali morbo attemptari cui ille pectoris cutem vitilagine insigniverit, scabiem autem Latini propter pruritum et titillationem dixerunt dulcedinem. Cicero de legibus i § 47 de volupate, *quoius blanditiis corrupti quae natura bona sunt, quia dulcedine hac et scabie carent, non cernunt satis.* Gratius Cyneg. v. 408 *at si deformi lacerum dulcedine corpus Persequitur scabies.* similiter Martialis xiv 23 libidinum vocabulo utitur in auriscalpii commendatione, *si tibi morosa prurigine verminat auris, Arma damus tantis apta libidinibus.* deinde Apuleius haec dicit, *eum nostri non modo maiorem et comitiale, verum etiam divinum morbum, ita ut Graeci ἱερὰ νόσον, vere nuncuparunt, videlicet quod animi partem rationalem, quae longe sanctissima est, eam violet.* suspicere Caelium cum illa scripsit memorem fuisse Apuleii. a Caelio, ut passim alia, Isidorus petiit quae Orig. iv 7 5 habet, *epilepsia vocabulum sumpsit quod mentem adprehendens pariter et corpus possideat: Graeci enim adprehensionem ἐπιληψίαν appellant.* quod mox addit, *idem est et morbus comitalis, idem maior et divinus, quo caduci tenentur,* videtur sumpsisse ab Apuleio. quod autem Caelius epilepticam passionem *luem deificam* dici scribit nihil est aliud quam quod Apuleius *divinum morbum* nuncupari narrat. neque enim mirum est Caelium, Siccensem patria, in isto vocabulo Afrorum secutum esse consuetudinem, quos divina dixisse deifica aliquot exemplis docere possum. Baluzius in Miscellaneorum libro secundo quosdam habet libellos ab Afris saeculo post Christum natum quarto conscriptos in quibus frequens est illud vocabulum. in Passione enim sancti Felicis episcopi Tubyzacensis p. 77 legimus *libros deicos habetis?* ibidem p. 80 *si scripturas deicas tradere nolueris, capite plecteris.* in Gestis purgationis Felicis episcopi Aptungitani p. 85 *dic, inquit, Caeciliiano amico meo quod codices accepi pretiosos deicos xi.* ibidem p. 89 *Felicem autem, religiosum episcopum, liberum esse ab exustione instrumentorum deicorum manifestum est, cum nemo in eum aliquid probare potuerit quod religiosissimas*

scripturas tradiderit vel exusserit. omnium enim interrogatio supra-scripta manifestata est nullas scripturas deicas vel inventas vel corruptas vel incensas fuisse: quae repetit Optatus episcopus Milevitanus de schismate Donatistarum i 27, ubi scriptum est *omnium enim interrogatio suprascriptorum manifesta est.* possum alia addere, sed vel sic metuo ne nimis longa scriptio molestus fiam.

Cum eis quae Caelius Aurelianus de puerilis morbi nomine dicit comparanda sunt quae Galenus habet in Hippocratis Epidemiarum vi comm. vi cap. 7 (t. v p. 523 Bas. t. ix p. 550 Chart.), τὴν ἐπιληψίαν οἱ παλαιοὶ καὶ μεγάλην νόσον ἐκάλουν καὶ πάθος παιδίον, ὥσπερ αὐτὸς ὁ Ἰπποκράτης ἐν τῷ περὶ ὑδάτων καὶ ἀέρων καὶ τόπων, ἐπειδὴ κατὰ τὴν τῶν παιδῶν ἡλικίαν πλεονάζει. Hippocratis verba sunt cap. 3, τοῖσι δὲ παιδίοισι ἐπιπίπτειν σπασμοὺς καὶ ἀσθματα, ἢ νομίζοντι τὸ παιδίον ποιέειν καὶ ἵρην νοῦσον εἶναι. quo rettulit Foesius παιδιὸν πάθος quod apud Eretianum legitur. scripsisse autem videtur Hippocrates τὸ παιδῆιον.

Sacrum morbum vocatam esse epilepsiam propter mali magnitudinem multorum fuisse videtur opinio. paullo scitius quam alii hoc morbi nomen interpretatur scholiastes in Apollonii Rhodii i 1019, ἴερὴ δὲ φατίζεται· κατ' εὐφημισμόν. τὰ γὰρ μεγάλα τῶν παθῶν εἰδρήμας ἴερὰ καὶ καλά φαμεν, ὡς καὶ τὰς Ἐρινίας Εὐμενίδας καὶ τὴν λοιμικὴν νόσον ἴεράν, ὡς καὶ Καλλίμαχος “ψευδόμενοι δ' ἴερὴν φημίζομεν.” pingui magis Minerva egerunt qui comitialem morbum ut alia scilicet magna sacrum vocatum esse statuerunt. eis quos antea commemoravi addo Plutarchum, qui de solertia animalium cap. 32 p. 981 sic loquitur, τὸ δὲ τοῦ ἀνθίου θαυμασιώτατόν ἐστιν, δὸν Ὁμηρος ἴερὸν ἵχθυν εἴρηται· καίτοι μέγαν τινὲς οἴονται τὸν ἴερόν, παθάπερ δύστον ἴερὸν τὸ μέγα καὶ τὴν ἐπιληψίαν μεγάλην νόσον οὖσαν ἴερὰν καλοῦσιν· ἔνιοι δὲ κοινῶς τὸν ἄρετον καὶ ἴερώμενον.

Omitto alia, neque ea commemooro quae grammatici ut ἴερὸν ἵχθύν et ἴερὸν δύστον aliaque similia explicarent disputarunt. sed quoniam sacri ossis mentio facta est utar hac occasione ut epistulam Frontonis ad amicos i 16, quam ad Victorinum generum scripsit, emendem. eam Maius cum Frontoniana Romae ederet ita scriptam dedit, *Graviter oculos dolui... nullus dolor... aut... interis... aut internati oriebantur inter nativum, Graeci ieron oston, Suetonius Tranquillus spinam sacram appellat. ego me neque Graecum neque Latinum vocabulum ullius mem-*

bri nosse mallem, dum istius doloris expers vitam degerem. olim initium epistulae aliter scripserat. de quo quid statuendum sit dici non potest antequam veteris libri schedae diligentius exploratae erunt, estque id in Frontonianis reliquiis omnino necessarium. sed *internati*, quod puto Maium aliasque ab internascendo deduxisse, quid sit manifestum fit certa proximorum verborum emendatione. scripsit enim Fronto.. aut *internati oriebantur*. internatum Graeci *ἰερὸν δστοῦν*, Suetonius *Tranquillus spinam sacram appellat*. internatii vocabulum adhuc ignorabatur. similia autem sunt multa, quae enumerabo quoniam partim rara sunt et in vetustis tantum glossariis inveniuntur: *interciliūm intercolumniūm interdigitiūm interfeminīum interlunīum intermetiūm intermundiūm internodiūm internundiniūm interordiniūm interpondiūm interscalmiūm interscapiliūm intertigniūm interveniūm*. paullo aliter dicuntur *interpretium* et *interusurium*. iam videat mihi quis quomodo Frontonis verba Reifferscheidius in Suetonii reliquiis p. 273 tractarit: adparebit rem non intellexisse. neque cum Suetonii *spinam sacram* ad librum eius qui erat de vitiis corporalibus rettulit maiore quam saepe alias iure usus est. quippe Suetonius in viris illustribus haec dixit, *Messala Corvinus orator ante biennium quam moreretur ita memoriam ac sensum amisit ut vix pauca verba coniungeret, et ad extremum ulcere sibi circa sacram spinam nato inedia se confecit anno aetatis LXXII.* leguntur ea apud ipsum Reifferscheidium p. 83.

Sed redeo ad Caelium Aurelianum. qui cum bis commemoret *sacrum mare*, nescio sane quis ita dixerit, sed Graecum fuisse poetam non dubito. nam *sacra domus* quae additur Homericus est, Il. vi 89, *οἶξασα κληδὶ θυρᾶς ἴεροιο δόμοιο*. fuerunt enim grammatici qui hic quoque somnium illud somniarent quo eis quidquid magnum esset sacrum dici posse videbatur. Hesychius *ἱεροῖο δόμοιο ναοῦ μεγάλον οἴκον*. denique tragicus poeta quem Caelius dicit sacrum noctem hoc est magnam adpellasse Euripides est, cuius Andromeda noctis longitudinem conquerebatur, quamquam propterea eam sacram adpellasse noctem idem illud grammaticorum somnium est. utitur Euripiis versibus Mnesilochus Aristophanis in Thesmophoriazusis v. 1065 ss.,

Ἄνδρες ιερά,
ώς μακρὸν Σπηλευμα διώκεις
ἀστεροειδέα νῶτα διφρεύονσ·
αἰθέρος ιερᾶς
τοῦ σεμνοτάτου οὐδι' Ὄλύμπου.

erat autem haec Noctis invocatio ipsum tragoediae initium vel, ut scholiastes loquitur, τοῦ προλόγου Ἀνδρομέδας εἰσβολή. sed de his versibus non convenit mihi cum doctis hominibus. Bergkius enim, quem Nauckius sequitur, μακρὸν ὡς ἐπεντυμα διώκεις scripsit, Meinekius πῶς μακρὸν ἐπεντυμα διώκεις. dissuadet mutationem scholiastes Theocriti, qui ad idyllium II 166 tres priores versiculos eodem verborum ordine adscripsit quo apud Aristophanem leguntur neque πῶς habet sed ὡς. adfert autem illos versus ut Euripidis neque idonea causa est cur putemus usum eum esse non Euripidis fabula vel antiquioris alicuius grammatici commentario, sed depravato Thesmophoriazarum exemplari. neque magis idonea causa est cur propter interruptam numerorum continuationem in carmine Euripidis quicquam mutetur. satis enim hiatus excusatur invocatione vel exclamazione, post quam vox paullisper sustinetur. consimile plane exemplum in eisdem anapaesticis numeris praebet Sophoclis Oedipus Coloneus v. 188,

ἄγε νῦν σύ με, παῖ,
ἴν' αν εὐσεβίας ἐπιβαίνοντες
τὸ μὲν εἴποιμεν, τὸ δ' ἀκούσαιμεν,
καὶ μὴ χρεία πολεμῶμεν.

et magis ibi cohaeret oratio quam in Euripiis versibus. deinde Nauckius ἀστεροειδέα delendum esse suspicatur, neque nego insolentius dictum esse, cum νῶτα αἰθέρος plena quidem sint sideribus, sed non speciem vel similitudinem eorum habeant. firmat tamen illam vocem scholion Theocrитеum, in quo levi errore ἀστροειδέα scriptum est. firmant etiam Ennii versus apud Varrom de lingua Latina v. p. 29 Sp., quos versus ad Andromedam Ennii Iosephus Scaliger rectissime rettulit, immerito reprehensus a Gerhardo Vossio in Castigationibus p. 19. Ennius igitur ita dixit,

quae cava caeli signitentibus
confici bigis.

si signitentis scripsisset, accuratius imitatus esset Euripidem: sed videtur νῶτα de equorum dorso intellexisse, excusando errore similique aliis quos Latini in Graecorum carminum interpretatione commiserunt; certe ad bigas epitheton transtulit. ceterum signitentibus illud Matthias Gesnerus in Thesauro non recte ita exponit, ‘id est signa percurrentibus’ nam illa cursum tenendi significatio a composito vocabulo aliena est. immo signitentes bigae similiter dicuntur atque Annali x (v. 343 Vahl.) hinc Nox processit stellis ardentibus apta, Annalique xvi (v. 416) Nox quando mediis signis praecincta volabit. ἀστεροειδέα

autem illud eo minus mihi videtur esse sollicitandum quo magis vereor ne, si conposita tragicorum adiectiva omnia ad vivum resecanda esse censeamus, aliquam multa nobis mutanda sint aut prorsus delenda. itaque dabimus aliquid poetarum libertati putabimusque Euripidem ἀστεροειδέα νῶτα dixisse cum vellet ἀστερόντα vel ἀστεράδη intellegi. scio Lobeckium in Pathologia Graeci sermonis t. i p. 458 ss. de ὡδῆς et οειδῆς formarum discriminē egregie disputasse: sed grammaticam subtilitatem saepe neglexit liberior atque audacior Graecorum poetarum oratio.

II. Diu, quod paene mireris, reprehensionem novandique studia effugerant splendida Antigoneae verba in Phoenissis Euripidis v. 174, ὡ λιπαροζώνον θύγατερ Ἀλίον Σελανία, χρυσεόκυκλον φέγγος. nuper autem Badhamus, cum vulgo constet ac pueris adeo notissimum sit communi Graecorum opinione Lunam Solis non filiam sed sororem perhiberi, puerili eruditione confisus Ἀλίον vel ἀελίον (id enim libri habent, illud Hermannus verissime scripsit) minime tolerandum, sed in Λατοῦς mutandum esse censuit. tum Nauckius ruiturum isto pacto versiculum addito articulo fulsit continuoque, quasi res esset certissima, θύγατερ ἀ Λατοῦς in exemplaria tragoeiae intulit. detrahi hac mutatione orationi aliquid poeticae virtutis facile intellegitur: nam multo quam Latona melius ac significantius Sol dicitur λιπαρόζωνος, id est radiis veluti nitido cingulo circundatus. magis etiam emendandi libidinem cohibere debebat antiqui interpretis scholion, ‘Ησίοδος φρσιν ἀδελφὴν Ἡλίον εἶναι τὴν Σελήνην, “Θεῖα δ’ Ἡέλιόν τε μέγαν λαμπράν τε Σελήνην γείνατο”’ Αἰσχύλος δὲ καὶ οἱ φυσικῶτεροι θυγατέρα, παρόσον ἐκ τοῦ ἡλιακοῦ φωτὸς μεταλαμβάνει ἀμέλει καὶ πρὸς τὰς ὑποστάσεις μεταμορφοῦται ἡ σελήνη. itaque similiter atque Euripides etiam Aeschylus alicubi Lunam filiam Solis vocavit. verum Nauckius Trag. fragm. p. 99 ‘non Αἰσχύλος’ inquit ‘voluisse videtur grammaticus, sed Εὐριπίδης’ non intellego cur voluerit, nisi forte ne, si nollet, periculosius esset Badhamo et Nauckio emendandi studium. sed ignorarunt docti homines quod scholiastes Arati in v. 455 narrat, αὐτῇ δὲ ἡ σελήνη καθ’ ἔαντὴν ἄφαντος ἥμιν ἐστίν, ὑπὸ δὲ τοῦ ἡλίου φωτιζομένη φανερὰ ἥμιν γίνεται, καὶ ὅτε μὲν αὐτῇ πλησιάζει, τότε καὶ φαίνει, ὅτε δὲ αὐτοῦ χωρίζεται, κατ’ ὀλίγον ἀπολήγει, καὶ πάλιν δσον πλησιάζει γεννᾶται· διὸ καὶ παρὰ τοῖς τραγικοῖς Ἡλίον θυγάτηρ λέγεται, ἐπειδὴ τὸ φῶς ἐξ αὐτοῦ ἔχει. nulla ratio est qua evincas unius tantum Euripidis illum versiculum obversatum esse scholia-

stae. sed esto, cogitaverit tantum de Euripide: vel sic illius carmini testimonium accedit nostris exemplaribus multo antiquius; quod sine evidenti necessitate contemnere non artis est, sed libidinis extra legitimos disciplinae fines temere evagantis. atqui nulla plane est contemnendi necessitas. nam cum omnino ineptum sit veteres poetas quasi essent catechumeni dogmatum vel Hesiodi theogonia vel communi opinione praescriptorum fide adstringere, tum tragicorum in rebus quae ad religionem pertinent liberius saepe philosophati sunt, physice maxime, neque Aeschylus tantum hoc fecerunt et Euripides, sed interdum etiam Sophocles. nimiam enim sibi sapientiam adrogat qui Sophoclis esse negat versus qui in vita Arati a Victorio edita ei tribuuntur, “*Ηλι', ἀλλ' οὐκτείρε με, Ὁν οἱ σοφοὶ λέγονται γεννητὴν θεῶν Πατέρα τε πάντων.*” quae ita scripsi non quod certo ita emendanda esse putarem, sed ne repeterem quod vulgo scribunt ‘*Ηέλιος οὐκτείρει πε*’ pro eo quod Victorii liber praebuit ἡλίοιο κτείρει ἐμέ: neque enim istam nominis formam senarius versus admittit. deinde cum copula deesset, τε adicere malui quam καὶ πατέρα scribere. credidit autem illa Sophochia esse prudentissimus harum rerum iudex Lobeckius Aglaoph. p. 79. sed multo sane saepius ita philosophati sunt Euripides et antea Aeschylus. quem cum Herodotus p. 156 narret Dianam fecisse filiam Cereris, multo minus mirabimur eundem Lunam Solis, a quo lucem accipit, aliquando dixisse filiam Euripidemque hoc esse imitatum. itaque in Phoenissis veteribus testibus fidem habebimus neque illud θύγατρες Αἴοιν Σελαναῖα novitio aliquo commento communabimus.

Videtur autem mihi omnino priscis testibus maior quam saepe fit reverentia esse exhibenda, non ut addicti eis simus aut nihil tempore valde antiquo erratum esse putemus, verum ut caute ac modeste iudicemus nostrisque opinionibus minus confidamus. sic idem Badhamus cuius de versu Euripidis sententiam improbandam esse duximus attractavit temere quae apud Platonem leguntur in Phaedro p. 245, δις δ' ἀνεν μανίας μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ὀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἔρα ἐκ τέχνης ἵκανός ποιητής ἐσόμενος, ἀτελῆς αὐτός τε καὶ ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μανομένων ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἡγανίσθη. putat enim scribendum esse ἐπὶ ποιητικῆς θύρας. sed quod in nostris libris est neque non potest ferri legit etiam Seneca, qui de tranquillitate animi cap. 17 10 nam sive Graeco poetae creditimus inquit, aliquando et insanire iucundum est, sive Platoni, frustra poeticas fores conpos sui pepulit, sive Aristoteli, nullum magnum

ingenium sine mixtura dementiae fuit. vel, ut alio exemplo utar, versum Sophoclis ἐδοξάτην μοι τὰ δύ' ἡπείρω μολεῖν Nauckius Trag. fragm. p. 255 suspicatur non Sophoclis esse, sed comic poetæ qui Aeschyli verba δύο γνναῖκ' εὐείμονε in risum verterit. equidem nihil hic ridiculi adgnosco, versum autem illum non tantum scholiastes in Aeschyli Persarum v. 181, verum etiam quem ipse Nauckius commemorat Herodianus in Philetaero p. 434 Piers. Sophocli tribuit: satis igitur confirmatum est poetæ nomen. eiusdem Herodiani gravissima auctoritate Aristophanis versum a suspicione defendo. in Avibus enim v. 1131 Pithetaerus muri quem extructum esse audit altitudinem admirans exclamat ὦ Πόσειδον, τοῦ μάκρου. ibi scholiastes adscripsit σημείωσαι δὲ τὸ μάκρος λέγει. Guilelmus Dindorfius ‘vocabulum’ inquit ‘fortasse ab Aristophane fictum: nisi τοῦ μακροῦ scripsit.’ mihi τοῦ μακροῦ hic ne potuisse quidem commode dici videtur, μάκρος cur Aristophanes finxerit causa non adparet. Meinekius hoc adscripsit, ‘μάκρους corruptum est.’ fugit doctos homines quod ex Herodiani Iliaca prosodia scholia in Iliadis xxiii 419 adferunt, βαρυτονητέον τὸ στεῖνος, ἐπεὶ οὐδὲν οὐδέτερον ὄνομα εἰς ὅσ λῆγον δξύνεται· οὕτως εἶχε καὶ τὸ μάκρος παρ’ Ἀριστοφάνει, “ὦ Πόσειδον, τοῦ μάκρους,” βαρυνόμενον καὶ μὴ δμοτονοῦν τῷ δξυνομένῳ ἀρσενικῷ. abstinebimus, opinor, a mutatione vocabuli quod Herodianus testatur. ceterum τὸ μάκρος hodie Graeci dicere solent, ut docet Coraes in Heliodorum p. 132, commemoratus ille a Ludovico Dindorfio in Thesauro Stephani, τῷ μῆκος ἡ μὲν συνήθεια σπαῖλως κέχρηται, ἐπιπολάσσαντος ἐν αὐτῇ τοῦ μάκρος idem sermonis vitium (repugnat enim τὸ μάκρος analogiae) non dubito iam Aristophanis aetate plebeculam Atticam commisisse. Pithetaerus igitur eius cum eo vocabulo utitur, prae magna admiratione in sordes verborum ridicule incidit, neque mutandum est quod poeta facete instituit.

III. Egregium carmen Aeschyli est in Agamemnone v. 681 ss.,
 τις ποτ' ὀνόμαζεν ὥδ' ἐς τὸ πᾶν ἐτητύμως
 (μή τις ὅτιν' οὐχ ὁρῶμεν προνοίασι τοῦ πεπρωμένου
 γλῶσσαν ἐν τύχῃ νέμων;) τὰν δορίγαμβον ἀμφινεικῇ θ' Ἔλέναν, ἐπεὶ πρεπόντως
 ἔλένανς ἔλανδρος ἔλεπτοις
 ἐκ τῶν ἀβροτίμων προκαλυμμάτων ἐπλευσε Ζεφύρου γίγαντος αὐρα,

*πολύανδροι τε φεράσπιδες κυναγοὶ κατ' ὥχνος πλάταν
ἀφαντον
δι' ἔριν αἰματόεσσαν.*

cum ἐλένας vocabulum Aeschylus finxit (recte enim ita correxerunt Blomfieldus et Elmsleius ἐλένας quod libri habent), usus est ea nominum interpretandorum consuetudine cuius multa exempla Elmsleius ad Euripidis Bacch. v. 508 adscripsit, vim et rationem praeclare exposuit Hermannus in explicatione Aiakis Sophociae v. 430. eadem nominis interpretatio momentum fecit ut Helenae sidus perniciosum salutaribus fratribus sideribus adderetur. nam cum aliis Helena videretur esse ναντίλοις σωτήριος, ut Euripides loquitur in Oreste v. 1637, alii et fortasse plures eam infestam navibus esse existimabant. de qua re conponam hic quae repperi omnia. itaque ad Euripidis Orestem adscriptum habemus hoce scholion, quod multo ante Cobetum tempore Madvigius correxit in Emendationibus in Ciceronis libros philosophicos p. 137, δτι καὶ ἡ Ἐλένη τοῖς χειμαζομένοις κατὰ θάλασσαν ἐπήκοος ἔστι κατὰ Εὐριπίδην σεσημείωται· ὁ μέντοι Σωσίβιος ἔμπαλιν οἴεται οὐκ εὑμενᾶς αὐτὴν ἐπιφαίνεσθαι. Πολέμων δὲ καὶ ἐν τῷ δ' τῶν (sic Madvigius: libri ἐν τῷδε τῷ) πρὸς Ἀναξανδρίδην τὴν μὲν τῶν δύο ἀστέρων ἐπιφάνειαν τῶν Διοσκούρων ἀνομολογεῖσθαι (ἀναμολογῆσθαι Cobetus), τὴν δὲ τῶν γ' τῶν (sic Madvigius: γ' τῶν libri omittunt) λεγομένων Καβείρων (sic Madvigius: libri ζοβείρων). in brevius haec contracta sunt in codice Augustano, Σωσίβιος ἐπὶ κακῷ αὐτὴν οἴεται φαίνεσθαι· εἰδὼς οὖν σωτήριόν φησιν αὐτὴν ὁ Εὐριπίδης, ubi εἰδὼς non puto verum esse, sed scribendum ἴδιως, frequentatum grammaticis vocabulum, a quo ne Latini quidem magis abstinent quam ab aliis Graecae disciplinae vocibus. in scholiis Bobiensibus in Ciceronis orationem in Vatinium p. 316 11 Or. Maius testatur codicem evidenter hoc habere, *ad superbiam quidem et nimium tumorem animi referens hoc dixit ιατως; tamen notare voluit insulsitatem cervicum eius, quas immodicum fuisse corpulentas traditur: habet codex sine dubio ΙΔΙΩC, coniungendumque est ἴδιως tamen. cum Sosibio consentit Plinius Nat. hist. II § 101, existunt stellae et in mari terrisque. vidi nocturnis militum vigilis inhaerere pilis pro vallo fulgorem effigie ea, et antennis navigantium aliisque navium partibus ceu vocali quodam sono insistunt ut volucres sedem ex sede mutantes, graves cum solitariae venere mergentesque navigia et si in carinae ima inciderint exurrentes, geminae autem salutares et prosperi cursus praenuntiae, qua-*

rum adventu fugari diram illam ac minacem adpellatamque Helenam, et ob id Polluci et Castori id numen adsignant eosque in mari deos invocant. usus est his Plinianis Ioannes Lydus cum de ostentis cap. 5 haec scripsit, δύοιως ἔστιν ἑτέρους ἀστέρας εὑρεῖν ποτὲ μὲν ἐν γῇ, ποτὲ δὲ ἐν θαλάττῃ τὰς ἴδιας ἐνεργείας δεικνύντας. ἐπὶ τε γὰρ στρατιωτικῶν ἀκοντίων πολλάκις ὄφθησαν ἐφιζάνοντες ἐπὶ τῶν ιστίων τῶν νεῶν, καὶ ἐν ἄλλοις δὲ μέρεσι, λιγνῳόν τι σύριγμα προσηχοῦντες καὶ δρνέων δίκην εἰς τόπον ἐκ τόπου τῆς νεώς μεθιστάμενοι, ὡς ἀν καταδύσωσι ταύτην. διθεν καὶ τοῖς ἔνδοτέροις τῆς νεώς ἐμπίπτοντι μέρεσιν, ἐξ ὧν συντομωτέρων εἰκὸς γενέσθαι τὴν ἐκπίρωσιν. τὸ δὲ τοιοῦτον σχῆμα ἦτοι κατάστημα οἱ τὴν θάλατταν πλέοντες Ἐλένην καλοῦσιν. ἀλλὰ κάντασθα τὰ ἐξ αὐτῆς ἡ πρόνοια δείκνυσι· δύο γὰρ ἀστέρες εὐθὺς κατασκήπτοντο τῆς τοιαύτης φορᾶς, οὓς Κάστορα καὶ Πολυδεύκην καλοῦσιν, οἵ παραχρῆμα πρὸς φυγὴν τὴν λεγούμενην ἐλαύνουσιν. porro Statii sunt hi versus in Thebaide vii 791 ss., non aliter caeco nocturni turbine Cori Scit peritura ratis, cum iam damnata sororis Igne Therapnaei fugerunt carbasa fratres. quorum Lactantius hanc dedit interpretationem, sororis igne: quia nautae cum stellam Helenae viderint, quae urania dicitur, cuius tanta est vis incendiī ut malum et navis ima pertundat, ut etiam si aes sit hoc calore solvatur, ergo si haec stella navi insederit, sciunt se nautae sine dubio perituros: contra Castorum sidera sunt navigantibus salutaria. uraniam hanc stellam dixit etiam Olympiodorus Thebaicus, ex cuius historia Photius in Bibliotheca p. 62^a Bekk. haec excripsit, ὅτι κατὰ θάλασσαν πολλὰ παθὼν δ συγγραφεὺς μόλις διασώζεται. ἐν φ καὶ περὶ ἀστέρος τυδος τερατολογεῖ, ἐπιβρίσκαντος τῷ ιστίῳ τοῦ πλοίου, μέλλειν αὐτὸνς βνθίζεσθαι· οὐρανίαν δὲ τὸ φανὲν παρὰ τῶν ναυτῶν καλεῖσθαι. ubi μέλλειν intellegi nequit, verum esse potest quod Niebuhrius scribendum esse coniecit μέλλον, nominativus quem dicunt absolutum. ceterum, ut ex Stephaniano Thesauro didici, alia etiam et paullo diversa significatione οὐρανίαν dictam esse adparet ex Olympiodori Alexandrini commentariis meteorologicis p. 4^b Ald. (apud Idelerum t. i p. 135), τούτους δὲ τοὺς τυφῶνας καὶ σίφωνας καλοῦσι διὰ τὸ καὶ ὕδωρ πολλάκις ἀναρπάσαι. καλοῦσι δὲ αὐτὴν καὶ οὐρανίαν ἴδιωτικῷ δνόματι. τυφῶν δὲ καλεῖται διὰ τοῦ τάχους τοῦ πνεύματος. διὰ γὰρ τοῦτο καὶ δ ποιητὴς φησι καὶ τὰς ἀέλλας καὶ τὰς συστροφὰς τῶν πνευμάτων. poetam dicit Hesiodum in Theogonia v. 869 ss. de Typhoeo

narrantem. sed ne a typhone quidem ignem abesse multorum fuisse constat opinionem.

IV. De Palicis olim Cluverius in Sicilia antiqua, nostra memoria Hermannus in commentatione de Aeschyli Aetnaeis, Prellerus in Polemonis reliquiis, Schneidevinus in museo Rhenano anni MDCCXLV erudite disputatione fuderunt eos quae Iulius Firmicus Maternus in praefatione libri Matheseos primi scripsit. ea adferam ut simul, si possum, emendem. *sed posteaquam de actibus et processibus nostris confabulati sumus, scrutatus a me es, sicut meministi, totius Siciliae quam incolo situm et unde oriundus sum* (scribendum puto *quam incolo et unde oriundus sum situm*) *et omnia quae veteres fabulae prodiderunt cum verae rationis explicatione quaesisti; quid velit ex se Scylla quidve Charybdis, quid concurrentium in freta fluctuum turbulenta confusio, quos disiuncta ac separata maria certo horarum tempore ac spatio contraria undarum collisione coniungunt; quid faciant ignes qui ex Aetnae vertice erumpunt, quae natura eorum quaeve substantia, ex qua origine sine iactura montis tanta profiscantur et anhelent incendia; qualis sit lacus qui prope alveum Symaethi amnis ostenditur, cui Paliscus (scr. Palicus) nomen est, qui semper crassitudine lurida sordidus liventibus spumis obatrescit et strepente coniugio stridulus argutum murmur exhibitat. nihili esse patet coniugio, cui Prucknerus vitii notam adposuit: videtur autem mihi Firmicus scripsisse configlio, quo vocabulo Solinus utitur cap. 99, nam in latebrosis rupium cavaminibus quae fluctuum configliis tunc adesa sunt reduviae conchyliorum resederunt. addo de lacu et fontibus Palicorum memorabilia non nulla habere Iosephum Allegranzam in disputatione de Palicis (*Opuscoli eruditii latini ed italiani del p. m. Giuseppe Allegranza, Cremona MDCLXXXI*) p. 203 ss. commemoratis p. 206 ea quae Boccatus in Genealogia deorum n 10 de lacu seu fontibus Palicorum auctore Theodontio rettulit. Theodontius iste Leontius est cuius librum Bodius in Mythographis edidit.*

V. Apud M. Claudium Sacerdotem Artium grammaticarum i 153 versus latent duo ioculares, non certi alicuius poetae, sed quales populus Romanus iacere solebat. loquitur de asteismo qui per similitudinem fiat. *per similitudinem, quomodo dictum est de Carbone, qui mortuo Crasso, homine felice, inimico suo, ante obscurus florere coepit, 'postquam Crassus carbo factus est', id est periit, 'Carbo crassus factus est' et illud de Pompeio, qui coloris erat rubei, 'quem non pudet et rubet, non est homo, sed ropio.' ropio autem est aut mimium aut piscis robeus aut penis.* in libro Bobiensi mimium et pene scriptum est, mi-

nium et penis Vindobonenses posuerunt, quorum illud certum est, hoc veri saltem simile. prior versiculus quadratus est,

postquam Crassus carbo factus, Carbo crassus factus est, explicationi eius grammaticus aliena et falsa admiscuit. recte autem Vindobonenses meminerunt C. Papirii Carbonis, qui, ut Cicero de or. iii § 10 ait, inimicissimus fuit L. Licinio Crasso: quippe Crassus patrem eius accusatione eo adegerat ut mortem sibi ipse conscisceret. habebat Carbo ille cognomen Arvinae, commemoratum a Valerio Maximo ix 2 3. quod cognomen ei propter pingue corpus a vulgo iocose additum esse non dubito. quodsi vero supra modum pinguescere coepit post mortem Crassi, versiculus ille ex omni parte facetus est. perii autem Crassus anno ab u. c. DCLXIII, Carbo trucidatus est anno DCLXXII. alter versiculus Sotadeus est, soluta ultima arsi,

quem non pudet et rubet, non est homo, sed ropio.

commode meminerunt Vindobonenses eorum quae Suetonius narrat de grammaticis cap. 15, *Lenaeus Magni Pompeii libertus . . . tanto amore erga patroni memoriam extitit ut Sallustium historicum, quod eum oris probi, animo inverecundo scripsisset, acerbissima satira lacraverit.* adparet animi inverecundi commemorationem qua Claudius Sacerdos usus est sumptam primitus esse a Sallustio. os probum Pompeii memorat etiam Plinius Nat. hist. vii § 53 et xxxvii § 14. denique pertinent hic quae Seneca narrat Ep. 11 4, *nihil erat mollius ore Pompeii. numquam non coram pluribus rubuit, utique in conditionibus.* utrum *ropio* sit *rubellio* Plinii an aliud significetur non diuidico. mullus barbatus a Gallis *rouget* dicitur.

VI. Difficile est ea emendare (sunt autem plurima) quae in Apuleii libris post multos multorum et partim valde doctorum hominum labores nondum recte scripta sunt. nam praeter monstrosa saepe ipsius Florentini exemplaris vitia certam emendationem haud raro impedit mirabile illud et quasi luxurians dicendi genus cui se totum dedit scriptor et antiquarius et simul verborum novator. sed cavendum tamen est ne ei attribuamus quae scribere non potuit nisi nimium ei libebat ineptire. sic ineptum est quod vulgo legitur in Floridorum initio *caespes libamine fumigatus* frustraque fuerunt qui id tueri sibi visi sunt adlatis dissimilibus. contra verissimum est quod in libro Florentino a prima manu scriptum est *caespes libamine umigatus*. in Onomastico vetusto apud Labbaeum p. 86* legimus *humigatus βεβρεγμένος*. est autem illis glossariis diligenter utendum si quis operae pretium facere vult in emendandis atque interpretandis Apuleii scriptis.

multa tamen sine omni doctrinae adparatu expediri possunt. quorum non nulla hic proferam.

Floridorum III 17 p. 82 haec legimus, et *merulae in remotis tesquis fringuntur, lusciniae in solitudine Africana canticum adulescentiae garriunt, olores apud avios fluvios carmen senectae meditantur: enimvero qui pueris et adulescentibus et senibus utile carmen prompturus est in mediis milibus hominum canat.* merito Oudendorpius offensus est illa solitudine Africana: intellexit enim dici aliquid debuisse quod cum remotis tesquis aviisque flaviis congrueret. et per se iam illud absurdum est. nuper scriptum est in solitudine aprica. quo commento nihil sane eiusmodi restituitur quale necessarium est, contra exhibentur nobis lusciniae aprica loca quaerentes. verum hodie certe umbram amant et opaca virgulta, neque, puto, olim aliter fecit *χλωρηὶς ἀηδῶν δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεξομένη πυκνοῖσιν.* non magno acumine opus est ut intellegatur Apuleium scripsisse *lusciniae in solitudine arcana canticum adlescentiae garriunt.*

Floridorum IV 18 p. 91 ita in libro Florentino scriptum est, *nunc quoque igitur principium mihi apud vestras auris auspicatissimum ab Aesculapio deo capiam, qui arcem nostrae Carthaginis indubitabili nomine propitus strepit.* hic primum *vestrae Carthaginis* cum Colvio scribendum est. tum frustra laborarunt docti homines ut ineptum illud *strepit* emendarent. quorum is nimium sibi placuit qui verum se restituere credidit si *tegit* faceret ex illo *strepit.* non dubitandum est scripsisse Apuleium *saepit.* eodem modo olim docui in epistula M. Cesaris ad Frontonem III 9 scribendum esse *ipsum lucum qui Capitolium montem saepit:* ibi quoque *strepit* est in libro Bobiensi, certe apud Maium. non abhorret autem a figurata Apuleii oratione quod saepire urbem dicitur deus quam custodia sua quasi cingat et circumvallet.

Apologiae cap. 3 p. 383 non plena est oratio in his, *propter quod paullo prius patroni Aemiliani multa in me proprie conficta et alia communiter in philosophos sueta ab imperitis mercennaria loquacitate effutierunt.* sed errare eos puto qui *sueta* in aliud participium mutandum esse suspicantur, omnium autem minime probo quod nuper prolatum est *consuta.* intercidisse infinitivum, sive is *fingi* fuit sive simile aliquid, non dubitabit qui reputaverit in Apuleii libris et maxime in hac ipsa Apologia saepius syllabus et verba librariorum neglegentia omissa esse. demonstrabo rem novis exemplis duobus.

Cap. 85 p. 570s. Apuleius, si reddimus ei quod scripsit, ita loquitur, *tunc, ultime, parentis tuae animum* insistis scrutari, *oculos ob-*

servas, suspitus numeras, adfectiones exploras, tabulas intercipis, amorem revincis? tunc quid in cubiculo agat perquiris? tibine mater tua non dico amatrix, sed nec omnino femina est? ne tu in ea cogites nisi unam parentis religionem. ubi tibine posui solum erat ne. illud Apuleium scripsisse et necessaria sententia docet et recta atque cum reliqua oratione congruens forma qua ea sententia enuntianda erat: pudet autem refellere quae alii opinati sunt. antea vero, ubi in istis scrutaris legebatur, scripsi insistis scrutari: neque enim quicquam prodest in delere.

Cap. 96 p. 590 ita scribendum est, neque enim dubito, *litteras tamen quas ad me Carthagine vel iam adveniens ex itinere praemisit, quas adhuc validus, quas iam aeger, plenas honoris, plenas amoris, quaeso, Maxime, paullisper recitari sinas, ut sciat frater eius, accusator meus, quam invita in omnibus Minerva curriculum cum fratre, optimae memoriae viro, currat. missis hominum doctorum miraculis invita inserui, quod librarius oculis ab uno in ad alterum aberrantibus omisit; quo facto Minerva in Minervae, quod libri habent, depravatum est.*

His addo quid de aliis Apologiae verbis, quae leguntur cap. 73 p. 547, sentiam: sed adscribam potius statim correcta. *mox auditorio misso Pontianus eo principio me adortus consensum publicae vocis pro divino auspicio interpretatur aperitque consilium sibi esse, si ego non nolim, matrem suam, cui plurimi inhinent, mecum coniungere (mihi quoniam soli ait rerum omnium confidere sese et credere), ni id onus respuam, quoniam non formosa pupilla, sed mediocri facie mater liberorum mihi offeratur: si haec reputans formae et divitiarum gratia me ad aliam condicionem reservarem, neque pro amico neque pro philosopho facturum. ubi respuam scripsi scribebatur recipiam, quod contrarium est sententiae, leniore autem quam qua feci non potest corrigi emendatione. etiam hic a redarguendis levibus et nugatoriis opinionibus abstineo.*

VII. Ambrosius in psalmum cxviii sermone xvi § 41 s. haec commentatur. *diximus continentiam sensus, nunc de topazio lapide exprimamus (f. expromamus) historiam. de quo invenimus in historia Xenocratis, qui scripsit quasi lithognomon (ita libri non nulli: vulgo lithosnomon), nasci vel inveniri circa Thebaidis civitatem Alabastrum vel Topazion, ut aliqui putant, unde et nominatus est ab eo in quo gigneretur loco. sunt autem qui putaverint insulam nuncupari Topazion, ad quam adpulsos Troglodytas orta subito commotione maritima eo quod navium usum non haberent regredi nequivisse. deinde plurimo*

*immorantes tempore in insula invenisse lapidem et delectatos colore eius repetuisse domum et Arabis negotiatoribus advenientibus vendisse; ab illis emisse Philonem et ad matrem Ptolemaei secundi, cui nomen erat Berenice, ab ipso esse perlatum, illam autem, quamvis regalibus ornamentis abundaret, supra modum tamen colore eius stupefactam elaborasse ut diutius species tam pretiosi lapidis non lateret, ideoque studio eius quae situm lapidem in usus frequentiores venisse. diximus quomodo innotuerit topazion lapis, nunc expressius de eius qualitate dicamus. duorum colorum est in hoc lapide πράσις, hoc est quaedam temperata permixtio, πρασοειδής (legitur πραπτοιδής) et chrysopteros (legitur chrysopa) similis chrysopraso, secundum utrumque velut quasdam extendens colorum figuram, et plenius quidem a peritis fertur extendere. est autem prasochrus (libri parichrus) et chrysochrus et pinguis, resplendenti similis, maxime cum solis splendore percutitur. est etiam pulcherrimus et mirabilis super omnes chrysoprasos magnitudine et, ut dixi, visu pinguior; natura huiusmodi ut si polire et levigare eum velis asperetur magis, et usu minuitur. est autem quodam genitali opere naturae euglyphus, hoc est bene insignitus, atque mirabilis et ut summo studio dignus haberetur difficile invenitur et repertus raro tamen in usu hominum est, quasi is quem dives regina mirata sit. quae in his corrixi ita emendanda fuisse satis certum est. nam πρασόχρονς vocabulum etsi lexica Tzetae tantum Chil. viii 969 ss. auctoritate firmant, nulla tamen causa est quin putemus usum eius multo fuisse antiquorem. πρασοειδής et chrysopteros confirmantur a Plinio. comparanda est enim Ambrosii narratio cum eis quae Plinius habet Nat. hist. xxxvii § 107 ss. *egregia etiamnum suo topazo gloria est, virenti genere et cum reperta est praelatae omnibus. accedit in Arabiae insula quae Cyttis vocabatur, in quam devenerant Trogodytae praedones fame et tempestate fessi, ut cum herbas radicesque foderent eruerent topazon.* haec Archelai sententia est. *Iuba Topazum insulam in rubro mari a continentali stadiis ccc abesse dicit, nebulosam et ideo quae sitam saepius navigantibus ex ea causa nomen accepisse, topazin enim Trogodytarum lingua significationem habere quaerendi.* ex hac primum importatam Berenicae reginae, quae fuit mater sequentis Ptolemaei, ab Philone prefecto regis mire placuisse et inde factam statuam Arsinoae Ptolemaei philadelphi uxori quattuor cubitorum, sacratam in delubro quod aureum cognominabatur. recentissimi auctores et circa Thebaidis Alabastrum oppidum nasci dicunt et duo genera eius faciunt, prasoiden atque chrysopteron simile chrysopraso: tota enim similitudo ad porri sucum*

dirigitur. est autem amplissima gemmarum. eadem sola nobilium limam sentit, ceterae Naxio et cotibus poliuntur; haec et usu atteritur. adparat Plinium partem eorum quae dicit a Xenocrate petuisse, Xenocratem partim cum Iuba conspirasse. cum autem Xenocrates a Plinio recensimorum auctorum nomine comprehendatur, non absurde putabimus usum eum esse Iubae narratione. commemorat vero Plinius Xenocratem eodem libro xxxvii § 25, ubi Ephesium dicit, 27 37 40. non scripsisse eum librum de lapidibus inde patet quod ab Ambrosio dicitur scripsisse quasi lithognomon: nimis enim tum ineptum foret quasi illud. immo in historia Xenocratis quae narrat se invenisse Ambrosius dicit. itaque eo adducimur paene ut eundem esse Xenocratem putemus cuius memoria extat in Etymologico magno p. 157 51, Ἀσσορία, ἡ Βαβυλωνία. τὸ μὲν πρῶτον ἐκάλειτο Εὐφράτης, ὑστερον δὲ Χαλδαῖα, τὸ τελευταῖον δὲ ἀπὸ Ἀσσύριου τοῦ Σούσου Ἀσσορία, ὡς Ξενοκράτης ἐν πρώτῳ Χρονικῷ. neque enim mirum videri posset si eruditus homo in libris quibus orientis historiam aut tractavit aut attigit de pretiosis lapidibus multa narrasset. sed veri sane non dissimile est quod Carolus Muellerus Fragm. histor. Graec. t. iv p. 530 conicit, in Etymologico Ξεναγόρας esse scribendum: Xenagorae enim Chronica saepius commemorantur.

Sed quod Plinius topazum solam nobilium gemmarum limam sentire scribit in mentem mihi revocat alia eius verba quae emendatione indigent. eodem enim libro xxxvii § 199 haec vulgo leguntur, *decussi fragmenti quod in lamna ferri moratur efficacissimum experimentum excusant mangones gemmarum, recusant similiter et limae probationem. ineptum est illud quod in lamna ferri moratur. sed non minus ineptum est quod ex libro Bambergensi, in quo lamna in ima depravatum est, nuper elicere sibi visi sunt, quod in lima ferri moratur. nam et lima ferri absurde dicitur, certe inutiliter, et addendum erat quale esset illud fragmenti in lima morantis experimentum et sequitur ut diversum experimentum limae probatio. scripsit Plinius decussi fragmenti quod in lamna ferri uratur efficacissimum experimentum excusant mangones gemmarum.*

VIII. Isidorus Originum iv 7 34 haec scripsit, *satyriasis iuge desiderium Veneris cum extensione naturalium locorum: dicta passio a satyris.* post haec verba, quae similia sunt eis quae Caelius Aurelianus Cel. pass. iii initio capituli 18 dicit, in libris Gothicis addita alia sunt eaque ab illo argumento tam aliena ut adpareat ex docto aliquo libro excerpta et cum forte nulla alia charta ad manum esset in vacuam ex-

emplaris alicuius Originum marginem coniecta esse. edidit ea Arevalus t. iii p. 566, Gothicos autem libros, ut ex eis adparet quae t. i p. 320 leguntur, codices ecclesiae Toletanae dicit charactere Gothicum exaratos. in his igitur Gothicis libris haec scripta sunt, *alexander historiographus ait vulscos* (al. *vulso*) *quidam appellatos aiunt a vulso antiphate strigonis filio. fabius quoque sicolicis* (al. *sic colicis*) *profectos corrupto nomine vulscos ait dictos.* non dubitabimus haec ad Cornelium Alexandrum Polyhistorem et ad Q. Fabium Pictorem referre, quorum qui reliquias conquisiverunt non inciderunt in illam adnotationem. emendanda est autem hoc modo, *Alexander historiographus ait 'Vulscos quidam appellatos aiunt a Vulso Antiphatae Laestrygonis filio.' Fabius quoque a Siculis profectos corrupto nomine Vulscos ait dictos.* Vulsci illius fabulosi memoriam non recordor me alibi reperire: sed totum illud commentum congruit cum ea opinione qua Formiae, Volscorum oppidum, Laestrygonum olim sedes fuisse putabantur; quam opinionem secuntur Cicero ad Atticum ii 13, Horatius Carm. iii 16 34, Ovidius Met. xiv 233. xv 717, Plinius Nat. hist. iii § 59, Silius Italicus vii 376. 410. antiquior Homericarum fabularum interpretatio, cui iam Thucydides quodammodo obtemperavit vi 2, Laestrygones in Sicilia conlocabat. fuisse autem qui Antiphatae patrem darent Sicanum (a quo Trinacriam adpellatam esse Sicaniam Stephanus Byzantius scribit p. 635 19 Mein.) Ioannis Malalae quantumvis inepta narratio docet p. 145 Ox., ἡ δὲ νῆσος αὕτη (Sicilia) ἦν μεγάλη πάνυ, διηρημένη εἰς τρεῖς ἀδελφοὺς μεγάλους καὶ δυνατοὺς καὶ τὰ ἀλλήλων φρονῦντας, λέγω δὴ εἰς Κύκλωπα καὶ Ἀντιφάτην καὶ Πολύφημον, νίοντες γεναμένους τοῦ Σικάνου, βασιλέως τῆς αὐτῆς νήσου. quodsi igitur non prorsus temere positum est quoque illud quo quisquis ista scripsit Fabii commemorationem verbis Alexandri adnexuit, videri poterit Fabius Volscos a Siculis Laestrygonibus repetiisse. nam etsi multo perulgatior antiquitus erat fama Siculos ex Italia in Siciliam traiecssisse, videntur tamen fuisse qui illinc potius eos in Italiam transmigrasse narrarent: certe Servius in Aen. i 2 haec habet, *Italus enim, rex Siculorum, profectus a Sicilia venit ad loca quae sunt iuxta Tiberim et ex nomine suo adpellavit Italiū.* sed intellego quam lubrica sit omnis opinatio in tam breviter tamque obscure repetita Fabii narratione. itaque de alia Fabiana narrationis non explicatione, sed quadam quasi umbra interpretationis nihil adicerem nisi Mommsenus me adhortatus esset ne omitterem quae ad causam aliquo modo pertinere viderentur. et expedient fortasse alii rem in qua ipse paene ni-

hil extricare potui. de Camilla, Volsca puella, Vergilius Aen. xi 841 s. haec dicit, *heu nimium, virgo, nimium crudele luctu Supplicium, Teucros conata lacessere bello.* adscriptum ibi hoc scholion est inter Serviana, quidam huius loci longam expositionem tradunt: *Volscos a Volscatibus Hylinis originem ducere, Exclytas autem, inter quos Amazones sunt, regionem Illyricam incolere. luisse ergo supplicium Camillam dicunt, quae adversum Troianos arma tulerit, quibus maiores eius auxilium constat tulisse, id est Penthesileam.* in his Hylini non difficilem habent explicationem. Stephanus Byzantius p. 647 haec habet, quae adscripsi a Meinekio emendata, ‘*Υλλεῖς, ἔθνος Ἰλλυρικόν, ἀπὸ Ὑλλού τοῦ Ἡρακλέους καὶ Μελίτης τῆς Αἰγαίου τοῦ ποταμοῦ, ὡς Ἀπολλάνιος τετάρτῳ ἀρχοντατικῶν. ἐστι καὶ πόλις Ὑλλη. τὸ ἐθνικὸν Ὑλλεῖς καὶ θηλυκὸν Ὑλληίς, ὡς αὐτός φησι, καὶ παρὰ Καλλιμάχῳ Ὑλλίς, ἀπὸ Ὑλλίδος ἀρχείας, μιᾶς τῶν νυμφῶν. ἦ ἀπὸ Ὑλλού τοῦ Ἡρακλέους καὶ Δηιανείρας. ἐστι δὲ ὡς Φῶνος Φωκεύς, Αἰόλος Αἰολεύς, οὗτος Ὑλλος Ὑλλεύς. Ἀπολλόδωρος Ὑλλοντούς γράφει, λέγων ἐν τῷ περὶ γῆς δευτέρῳ “ὑπὲρ δὲ τοὺς Ὑλλοντούς Λιβυνοὶ καὶ τινες Ἰστροὶ λεγόμενοι Θρῆκες.” καὶ τὸ θηλυκόν, “Ὑλλίς πρόκειται χερ-ρόνησος ἥλικη Μάλιστα Πελοπόννησος, ὡς φασι....πεντεκαίδεκα Πόλεις ἔχοντα παμμεγέθεις οἰκουμένας.” ab Apollonio Rhodio ‘*Υλλῆς* commemorantur Arg. iv 522 ss. Apollodori versibus usus est Scymnus v. 405 ss. ‘*Υλλείων χθόνα* Dionysius perieg. v. 386 memorat. *peninsula Hyllis, circuitu c m. p., apud Plinium est Nat. hist. iii § 141.* idem nomen apud Propertium i 8 26 restitui certa emendatione, quae non mea est, sed Lachmanni, *et dicam 'licet Autariis considat in oris, Et licet Hylleis; illa futura meas.'* sed *Volsates* illos in scholio non novi, neque magis novi *Exclytas* aut nomen eorum, quod corruptum esse videtur, emendare possum: recte autem in eiusmodi rerum vocabulorumque obscuritate a conjectura abstinebimus donec scholia illa cum antiquis libris adcurate conlata erunt. Amazones vero in Illyrica regione conlocari non admodum miror. nolo quicquam pronuntiare de eo quod Plinius § 144 narrat, *ab Epidauro sunt oppida civium Romanorum Rhizinum Acruvium Butua Olcinium, quod antea Colchium dictum est a Colchis conditum:* quamquam in mentem sane veniunt *Κολχίδος γῆς ἔνοικοι παρθένοι, μάχας ὄτρεστοι.* venit autem in mentem etiam turpissimum mendum in scholiis in Clementem Alexandrinum p. 115 11 Kl., *Ἀμαζόνες· ἔθνος Σκυθικὸν ἀνδρεῖον καὶ ἀνδρῶδες καὶ πρόσοικον τοῖς Κόλλοις,* ubi *Κόλχοις* scriben-*

dum esse patet. verum ut haec missa faciam, ulterius etiam fabulae promoverunt memoriam Amazonum. nam cum Horatius Carm. iv 4 17 haec dicat, *videre Raetis bella sub Alpibus Drusum gerentem Vindelici: quibus Mos unde deductus per omne Tempus Amazonia securi Dextras obarmet quaerere distuli, Nec scire fas est omnia*, immerito veteres grammatici a recentissimis vituperantur. Porphyrionis hoc est scholion, *hi Vindelici sedibus ab Amazonibus electi et ex Thracia in exilium se contulisse Alpiumque loca insedisse dicuntur et quod potentissima in se tela secures Amazonum experti fuissent ipsos quoque usum earum in bello accepisse.* aliter Servius in Aen. i 243, *tutus: ideo tutus quia Raeti Vindelici ipsi sunt Liburni, saevissimi admodum populi, contra quos est missus Drusus.* *hi autem ab Amazonibus originem ducunt, ut etiam Horatius dicit, Quibus mos et quae secuntur.* Serviana cum Illyricis Amazonibus facilis opera consociantur. nescio sane utrum Servius an Porphyrio veriora protulerit, sed illud scio, Horatium illic de Amazonibus nihil dicturum fuisse nisi Vindelicos cum Amazonibus aliqua fabula aliquodve carmen coniunxisset. puto autem egregium hominem Ioannem Matthiam Gesnerum egregie intellexisse quid Horatium ut illa carmini suo admiseret permoverit: cuius sententiam cum hodie contempti video consolor me Godofredi Hermanni adsensu, quicum ante multos annos de Horatii carmine ita interpretando conloqui memini. egregie igitur mihi videtur Gesnerus intellexisse morderi ab Horatio Amazonidem Domitii Marsi. quam recte lyrico carmini cuius grandior est spiritus alias poetae insectationem inseruerit non quaero, sed fecit illud Graecorum poetarum exemplo: de qua re satis est commemorare Pindaricum illud *ἄρχαρτα γαρύετον*. imitatur autem Graecos omnibus modis, veluti parmulam se non bene reliquisse non dixisset nisi memor fuisse Archilochi et magis etiam Alcae. illos non curo qui dum libidinem magis quam rationem secuntur ab Horatio quidquid ipsis displicet abiudicant. quod autem vir quidam eruditissimus negavit ex noto Martialis epigrammate iv 29 recte concludi Amazonidem Marsi epicum carmen fuisse, mihi quidem vanum videtur istud oraculum. Martialis enim ut rara doceat gratiora esse hoc utitur exemplo, *saepius in libro numeratur Persius uno Quam levis in tota Marsus Amazonide.* itaque opponit uni Persii libro Amazonidis, longi carminis, libros conplures: velim autem scire quidnam Amazonis pluribus libris conscripta potuerit esse aliud quam epicum carmen. concideret vero ingeniosa Gesneri opinio si recte Nipperdeius in Taciti Ann. vi 47 Amazonidem ad Vibium Marsum referret, quem Tacitus inlustrem studiis dicit, poe-

tam non dicit: putat enim Nipperdeius Domitium, clarum poetam, a Martiale non potuisse reprehendi. sed arbitror levem poetam et epigrammatis clarum longo et severo carmine epico displicuisse propterea que *levis* illud a Martiale additum esse. verum ut ad Servianum scholion Fabiumque Pictorem redeam, memorabile est a Plinio § 141 inter Delmatiae oppida enumerari *Siculi*, *in quem locum divus Claudius veteranos misit*: hoc enim, *Siculi*, antiqua exemplaria habent, quod vulgo scribitur *Sicum* sumptum est ex Ptolemaei Geographia II 16 4; verum rectissime Mommsenus intellexit apud Ptolemaeum potius *Σικοῦν* mutandum esse in *Σικοῦλη*, id est *N* in *AI*: consimili autem nominis forma *Σλοῦππη* est inter Liburniae oppida a Ptolemaeo § 9 commemoratum. denique a Plinio § 143 inter Delmatiae populos referuntur *Siculotae*, a Ptolemaeo § 8 *Σικουλῶται*. haec nomina fabulis fortasse originem dederunt quibus Volsci a Siculis Illyricis repeterentur, neque, ut Mommsenus censem, mirandum est si fuerunt qui Volscos, Romani nominis hostes, ab aliis Siculis quam ab illis qui Latium olim incoluisse putabantur originem accepisse fabularentur. uberior haec fortasse enarrata erant in illa longa expositione quam Servianum scholion contractam exhibet. suspicor etiam ad illam expositionem olim pertinuisse quae Originibus Isidori in Gothicis libris adscripta sunt: utitur enim Servius alibi et Alexandri Polyhistoris et Fabii Pictoris auctoritate. sed nunc a longo ac tenebricoso itinere tandem respiro, putoque etiam lectores siqui fuerint libenter esse respiraturos.

IX. Errorem commisi cum in Catalectis Vergilii aliorum iudicio nimis confisus *Syronis* scripsi, sed non eo peccavi quod non scripsi *Scironis*. hoc Scironis nomen retribuendum esse philosopho Epicureo quem Vergilius audivit Caroli Halmii opinio est, qui ad Lucullum Ciceronis § 106 haec adscripsit, ‘nobis vera forma videtur *Sciron*, quam editores etiam ex Donati vita Vergilii § 79 et ex Catalectis Verg. VII 9 et x 1 codd. spretis expulerunt. in Cic. epist. ad famil. vi 11 2 *Syronem* editur; sed Baitero teste codex Mediceus exhibet *sironem*.’ videamus quae sit librorum memoria. in Lucullo Ciceronis antiquior liber Leidensis *seiron* habet, alter Leidensis et Erlangensis *sciron*, Gudianus *seron*, quod autem olim scribebatur *Scyron* factum est nulla veterum librorum auctoritate. quid in epistula liber Mediceus habeat ipse docet Halmius. in libro de finibus II § 119 *sironem* est in antiquis exemplaribus, *Syronem* et *Scyronem* auctoritate carent. in Vergilius Catalectis liber quo usus sum Bruxellensis, quo neque melior neque antiquior adhuc inventus est, in priore carmine *sironis* praebet, in altero *fironis*,

quo errore illam nominis formam patet esse depravatam. ex Donati vita Vergilii omnino nulla nominis species quam veteres libri dederint expulsa est: nam philosophi Epicurei commemoratio ad eam vitae partem pertinet quam non habere scripta exemplaria Reifferscheidii diligentia constat. in Phocae autem vita Vergilii quod Scaliger et Pithoeus scripserunt *Sironem* in antiquo exemplari invenerant. Servium in Vergilii Buc. vi 13 *Sirone* et *Sironem*, in Aen. vi 264 *Sironem* scripsisse satis ostendunt quae de scriptis libris commemorantur. denique in vetustissimis illis scholiis Veronensibus in Buc. vi 9 *sirona* scriptum est. quare cum sequenda sane sit antiquorum librorum auctoritas, Siron dicendus est philosophus. neque enim *seiron* illud Leidensis libri aliud est neque *sciron* aut *seron* aliunde natum esse videtur quam ex ipsa illa Graecanica nominis forma. erat autem Graecum nomen Σειρων, cuius exemplum est in Thesauro Stephani.

Commemoravi supra antiquum exemplar carminis Phocae. codex est bibliothecae imperialis Parisiensis numero 8093. quem codicem Merilius in Confusaneis suis (*Mélanges archéologiques et littéraires par mr Édéléstand du Méril*) p. 451 fabulatur carminis non tantum illos quos omnes novimus versus hexametros cvii continere, sed clxxxii. nequis homini falsa temere adfirmanti credit testor fide Caroli Benedicti Hasii schedam codicis ipso illo versu 107 finiri (*hic ubi languores et fata minacia sensit*), proximam schedam olim alio pertinuisse versusque qui in ea scripti sunt a Phocae poemate prorsus esse alienos. quod igitur servati sunt illi quos habemus eius versus factum est servato uno illo exemplari, quo Scaligerum et Pithoeum usos esse adparet. neque magna est reliquorum iactura. nam recte statuitur Phocam e Donato totum pendere. est autem ubi Donatum non recte intellexerit. nam cum Donatus haec de Vergilio narret, *poeticam puer adhuc auspicatus in Ballistam, ludi magistrum, ob infamiam latrociniorum cooperatum lapidibus distichon fecit, 'monte sub hoc lapidum tegitur Ballista sepultus. Nocte die tutum carpe, viator, iter.'* Phocas ea ita exornat, *tum Ballista rudem lingua titubante receptum Instituit primum, quem nox armabat in umbris Grassari solitum; crimen doctrina tegebat. Mox patefacta viri pressa est audacia saxis. Incidit titulum iuvenis, quo pignora vatis Edidit: auspiciis suffecit poena magistri. Monte sub hoc lapidum* et quae secuntur: male enim argutus est Reifferscheidius cum ea quae secuntur secludit Phocamque minus quam fuit ineptum reddere studet. videntur autem mihi recte sensisse qui olim in Donati vita scripserunt *ludi gladiatori magistrum*, id est recte interpretati

esse *ludi magistrum*, nam addere sane nihil debebant. quodsi litterarii ludi magister Ballista fuisse, vel puerum inde aliquid acuminis epigrammati suo recepturum fuisse putaverim. et videtur Ballista gladiatori satis conveniens nomen esse. quamquam si quis dicat hoc esse nimium sapere, nescio sane quomodo me defendam. in inscriptione Canusina apud Mommsenum IRN. p. 38 n. 673 M'. Aquillius Ballista aliquis invenitur.

X. In Fragmentis, ut iuris periti locuntur, Vaticanis § 129 s. haec scripta sunt, *valetudo quoque mala praestat vacationem, si talis sit ut ostendat eum ne quidem rebus suis administrandis idoneum esse. item. si quando autem huiusmodi valetudo adfirmetur, inspectio praetoris necessaria est. sive autem quis arthriticus sit sive posicus sive epilepticus sive orbus et his similia, excusantur.* cum posicus nihili sit, excoigitata olim sunt vocabula quae propter significationem morborum ad excusationem minime idoneorum non magis ferri possunt. unus Mommsenus prompsit aptum rei vocabulum, *podagricus*. sed inde non potuit nasci *posicus*. traiectis potius duabus litteris scribendum est *psoicus*. Ulpianum, ex cuius libro singulari de excusationibus haec sumpta esse Mommsenus docuit, facile credam scripsisse *psoadicus*, excerpta ista minus recta vocabuli forma non dedecet. de psoadicis satis est adscribere quae Caelius Aurelianus habet Tardarum passionum v 1 6, *psoadici vero clunium dolore afficiuntur et tardo motu, ut se renidente dolore nec inclinare valeant ac dolentius subrigant*.

XI. Apud Diomedem in Arte grammatica p. 498 P. in vetustis libris haec leguntur, *vocales (versus) sunt qui alte producta elocutione sonantibus litteris universam dictionem inlustrant, ut est illud paonia non meo oceano hyperion fulgorat euro*: secuntur tres alii versus. qui olim hos quattuor versus Varroni Atacino attribuerunt neglexerunt vel ignorarunt potius antiquorum exemplarium litteras, quibus aliud nomen contineri manifestum est. itaque Henricus Keilius posuit quod ego suaseram, *ut est illud Paonianum Eoo Oceano Hyperion fulgorat Euro*. initium versiculi si quis aliter restituerit, non repugnabo; quamquam ne nunc quidem veri dissimile habeo quod scripsi. sed poetae nomen me recte adsecutum esse puto, nisi quod simplicius ac rectius scripsisset *Paoniani*. videor enim mihi iam posse docere quis ille fuerit Paonianus. Tacitus ab excessu divi Augusti vi 39 inter res anno ab u. c. DCCLXXXVIII gestas haec narrat, *nec disparest Trebelleni Rufi et Sextii Paonianii exitus: nam Trebellenus sua manu cecidit, Paonianus in carcere ob carmina illic in principem factitata strangulatus*

est. pessimum hominem fuisse ea docent quae antea (cap. 3) a Tacito narrantur, poetam non optimum vocales illi versiculi produnt. nam ut alii eos homini adscribamus nulla videtur esse causa.

XII. Marulli mimographi pauca habemus verba a Servio bis commemorata, in Buc. vii 26 et in Aen. vii 499. meminit eius Hieronymus contra Rufinum ii 20 (t. ii p. 514 Vall.), *quasi mīmū Philistionis vel Lentuli ac Marulli stropham elegantissimā sermone confictam.* ab Hieronymo, ut pii illi homines haud raro furtis doctrinae speciem quaerunt, eius notitiam sumpsit Marius Mercator p. 10 Bal., *vulgares tu dignus audire acclamations, unus tu; unus Philistion, unus Latinorum Lentulus, unus tibi Marullus comparandus: namque Martialem et Petronii solus ingenia superasti.* quo tempore Marullus vixerit docet Iulii Capitolini narratio in M. Antonino philosopho cap. 8, *adepti imperium ita civiliter se ambo egerunt ut lenitatem Pii nemo desideraret, cum eos Marullus sui temporis mimographus cavillando in punctu perstringeret.* addo quod ignorare videntur qui Latinarum litterarum historiam tractant. Galenus περὶ ἀνατομικῶν ἐγχειρήσεων vii 12 (t. i p. 182 Bas., iv p. 161 Chart.) haec habet, εἰ δὲ καὶ περιλάβοις ἔτι δεσμοῖς τὸ τραῦμα, καὶ τροφὴν ὅψει προσφερόμενον ἦν πεινῆσαν τύχη καὶ πίνον ἦν διψήσῃ. καὶ τὸ θαυμαστόν; δπον γε ὁ Μαρύλλον τοῦ μιμογράφου παῖς ἐθεραπεύθη καὶ ζῆ νῦν ἔτι, καίτοι γυμνωθείσης αὐτῷ ποτε τῆς καρδίας. ad eundem puerum pertinere puto quae Galenus narrat περὶ τῶν Ἰπποκράτους καὶ Πλάτωνος δογμάτων i (t. v. p. 78 Chart.), ἀλλὰ κάκείνον τὸ συνεχὲς τῷ στέρνῳ διεσεσήπει καὶ ἦν οὔτω σαφῶς θεάσασθαι τὴν καρδίαν ὡς καν ταῖς τῶν ζῴων ἀνατομαῖς ἐπειδὰν ἐκόντες ἀναγνυνῶμεν. τὸ μὲν οὖν παιδάριον ἐσώθη, σαρκωθέντων τε τῶν περὶ τὸ στέρνον καὶ συμφύτων ἀλλήλοις καὶ τοιούτον ἐπίθεμα γενομένων τῆς καρδίας οἶόν περ ἡ ἔμπροσθεν ἦν κορυφὴ τοῦ χιτῶνος. καὶ οὐ καὶ θαυμάζειν εἰ γυμνωθείσης τῆς καρδίας ἐσώθη τὸ παιδάριον etc.

XIII. Ex codice illo Einsidensi qui praeter alia inscriptionum Latinarum syllogen antiquissimam et descriptionem urbis Romae continet Theodorus Mommsenus anno MDCCCLIV in Museo Rhenano p. 298 hoc distichon protulit,

*Iustius invidia nihil est, quae protinus ipsum
corrodit auctorem excruciatque animam.*

sumptum est ab Hieronymo, in cuius libro iii in epistolam ad Galatas

cap. 5 (t. vii p. 508 Vall.) haec legimus, *pulchre quidam de neotericis Graecum versum transferens elegiaco metro de invidia lusit dicens iustius invidia nihil est, quae protinus ipsum auctorem rodit excruciatque animum.*

minor versus sic scriptus est recte: nam brevis in caesura syllaba apud neotericum poetam nullam habet offensionem. possum autem etiam Graecos versus monstrare quos ille Latinos fecit. epigramma est ἀδέσποτον Anthologiae Palatinae xi 193,

*'Ο φθόνος ἐστὶ κάκιστος, ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αἰντῷ.
τήκει γὰρ φθονερῶν ὅμιλα καὶ κραδίην.*

similia apud alios inveniuntur, quorum dicta partim congressit Ioannes Stobaeus Anthologii capite xxxviii. eiusmodi animadversione cum laus nulla parari possit (neque enim tenaci memoria gloriabitur nisi stultus), sed litteris quantumvis tenuis adferatur utilitas, sine invidia erit si addidero versum a Beda de tropis p. 611 prolatum, *pervia divisi patuerunt caerulea ponti*, in quo de Ennio non debebat cogitare Halmius, cum Beda in toto illo libello pagani nihil commemoret, versum igitur illum esse Caelii Sedulii 1 120.

XIV. Non uno nomine utile atque adeo necessarium est scire quorum scriptorum veterum doctiores homines medio quod dicitur aevo habuerint notitiam. itaque operaे pretium facturus esse mihi videor si ex eis quae inde a longo tempore ad hanc rem pertinentia collegi memorabiliora paullatim proferam. sed nunc quidem pauca tantum volo hoc congerere.

Varronis libros de lingua Latina legisse Hrabanum Maurum non video notum fuisse eis qui de Varrone commentati sunt. sed certa res est. quippe Hrabanus de computo cap. 3, in Baluzii Miscellaneis t. i p. 9, haec habet, . . . centassis. post quem numerum teste Varrone non componuntur cum asse numeri. quae hausta sunt ex Varronis libro v, ubi haec leguntur p. 170 Sp., . . . reliqua conveniunt, quod est ut tricesis proportione usque ad centassis, quo maius aeris proprium vocabulum non est. neque enim potuit Hrabanus aliunde sumere quae nemo alias excipserat.

Catulli carmina saeculo decimo Ratherius legit, saeculo quarto decimo Petrarcham habuisse alias docui, medio inter utrumque tempore omnino videntur delitusse. nam quod Ioannes Sarisberiensis in Metalogico 1 24 Catulli illud-adfert *munus dat tibi Sylla litterator*, nempe sumpsit a Martiano Capella. itaque memorabile est quod proferam. versiculum illum carminis xxxvii *cuniculosae Celtiberiae fili* Priscia-

nus bis commemorat, Institutionum v 77 et vii 22 (p. 673 et 741 P.). utrobique libri in hoc vitio conspirant, *celtiberosae celtiberiae fili*, aut in mendis quibus ipsum illud *celtiberosae* amplius depravatum est. sed codex Darmstadiensis saeculo XII scriptus, quo Hertzius usus est, utrobique *cuniculosae* praebet. quare putandum est aut verum vocabulum usque ad hunc librum devenisse ex antiquiore exemplari quam ex quo ceteri libri omnes deducti sunt aut fuisse saeculo XII vel paullo antea non indoctum hominem qui quae Priscianus attulit cum Catullianorum carminum aliquo exemplari compararet.

Henricus Iordanus in praefatione quam scriptoribus historiae Augustae addidit p. xxv narrat me sibi indicasse tenuem horum scriptorum memoriam extare apud Sedulium Scotum in Maii Spicilegio Romano t. VIII p. 43, quippe qui videretur Maximinorum vitam legisse. scilicet cum haec scriberet ego aberam Berolino, Maii autem librum nancisci non potuit: habent enim libri hoc etiam fatum ut non numquam non possint reperiri. adscribam igitur ista, quae non tenuem memoriam continere dixeram, sed evidentem. Sedulius in libro de rectoribus Christianis (quem librum videri potest intra annos DCCC et DCCXL, fortasse anno DCCXIII, scripsisse) cap. 14 haec habet, *quod si quis singulari fortitudine excellens ob hoc singula non timeat, idem multos necesse est caveat. nam qui ab uno vincit non potest interdum a multis vincitur. elephas grandis est et occiditur, leo fortis est et occiditur, tigris fortis est et occiditur. qui haec contulerit cum eis quae in Iulii Capitolini Maximinis duobus cap. 9 leguntur, non dubitabit illa excripta esse a Sedulio. ante illa Sedulii verba legimus haec, praesumebat et silurus piscis quod hamum sibi nemo iaceret, nemo tenderet retia et, si incidisset, omnia disrumperet: et tamen fuscinam non evasit.* falleretur siquis fabulam Caroli tempore a vulgo narrari solitam in his se reprehendere putaret: sumpta enim omnia sunt ex Ambrosii Hexaemero v 5. sed Caesarum vitas Sedulium legisse non uno illo argumento constat. cap. 6 p. 19 haec scribit, *unde illa Antonini imperatoris praecipua semper in consiliis fuit sententia 'aequius est ut ego tot et talium amicorum consilium sequar quam ut tot et tales amici meam unius voluntatem sequantur.'* eisdem verbis Antonini Philosophi sententiam Capitolinus in vita eius cap. 22 perscrispit.

Grillium aliquem ad Virgilium de accentibus scripsisse olim notum erat ex Prisciani Institutionum i 47. eiusdem, ut videtur, Grillii amplum commentarium in Ciceronis libros de inventione Halmius in lucem reduxit eiusque partem in Rhetoribus suis Latinis edidit. Retho-